

*De figuris lapidum, &c.*

**P.** Papauera exprimit Meconites, Plinius. Vide paulò antè in Meconite, qui milij grana repræsentat. Est autem milij & papaueris seminibus eadem ferè tum magnitudo tum figura.

Smaragdi Medici rerum imagines complectuntur, vt verbi gratia papauerum, aut auium pinnarumq̃, &c. Plinius. Mecon Græcis papauer dicitur, vt eodem nomine arenæ quædam species Polluci, subtilioris nimirum.

Phycites ex algæ similitudine appellatur, Plinius.

Pisorum & lentium similitudinem lapides aliquos habere superiùs in L. litera dictum est. *Iconem eius posui supra paulò post principium Capitis quarti.*

Vide superiùs in Coriandro. Pisa lapidea multa inueniri audio in agro prope oppidum Bernensium Heluc-tiorum ad Arulam, à ponte per id flumen denominatum. Pisolithum ad me misit Io. Placotomus medicus ex  
miè